

# PRIMA PARS

CHOROGRAPHIA.

EIVS SIMILITVDO.



Antequã quis ipsius Cosmographiæ studiũ aggrediatur, fundamentum imprimis, seu Astronomiæ principia, quæ sunt circulorum sphaeræ noticia, quibus tota utitur Cosmographia, disquirat necesse est. Quod in sequentibus quam breuissime manifestabitur.

## De motu Sphaerarũ, Cœlorũq; diuisione. Caput II.

**M**Vndus bifariam partitur, in Elementarẽ regionẽ, & Ætheream. Elementaris quidẽ assidue alterationi subiecta, quattuor elemẽta Terrã, Aquã, Aerẽ & Ignẽ cõtinet. Ætherea autẽ regio (quã Philo. quin tam nuncupãt essentiã) Elementarẽ sua cõcauitate ambit, inuariabilisq; substãtia semp manẽs, decẽ Sphaeras cõplectitur. Quarũ maior sp proximiã minorẽ sphaerice (eo quo sequitur ordine) circũdat. Imprimis igitur circa sphaerã ignis, Deus mũdi opifex locauit sphaerulam lunæ: Deinde Mercurialẽ: Postea Venereã, Solarẽ: Deinde Martiã, Iouiã, & Saturniã, quælibet autẽ istarũ vnicã tantũ habet stellã, quæ quidẽ stellæ zodiacũ metiẽtes semp primo mobili, seu decimæ sphaeræ motui obnitũtur, alias sunt corpora diaphona, hoc est, omnino perlucida. Mox sequitur firmamẽtũ, quod stellifera sphaera est, quæq; in duobus paruis circulis circa principia Arietis & Libræ nonẽ sphaeræ, trepidat: & iste motus apud Astro. motus accessus & recessus stellarũ fixarũ appellatur. Illã circũdat nona sphaera, quæ quum nulla in ea stellarũ cernitur, cœlũ cristallinum seu aqueũ appellatur. Istas tandẽ æthereas sphaeras, primũ mobile, quod & decimum cœlum dicitur, suo ambitu amplectitur & continue super polos mundi, semel facta reuolutione in 24. horarum interuallo, ab ortu per meridiẽ in occasum, iterum in orientẽ recurrẽdo rotatur. Et omnes inferiores sphaeras suo impetu simul circumuoluit, nullaq; in eo existit stella. Huic ceterarum sphaerarum motus ab occasu per meridiẽ in ortum currentes, reluctantur. Ultra hunc quicquid est, immobile est, & Empyreum cœlum (quem Deus cum electis inhabitat) nostræ orthodoxæ fidei professores esse affirmant.